

gustius. Atq; hoc est illud signaculum ponendum super cor nostrum, ut est in *Cantico cap. 8.* Christi inquam charitas, imago, vita, humilitas, patientia, crux, contumelia & mors. Hoc illud lumen est cordium nostrorum, per quod renovamur, & in illius imaginem clarificamur. Sicut autem Christ⁹ secundum statum suæ exinanitionis in hoc mūdo, infra omnes creaturas, nedum infra homines fuit, juxta statum vero exaltationis, Dominus universorum: ita & Christianus ratione fidei, omnium Dominus Solo Deo excepto constituitur, ratione vitæ vero subjacet rebus universis.

CAPITULUM XII.

CHRISTUM ESSE VERAM VIAM & metam devotionis & pietatis; tum hominem citra Dei ductum non posse non errare.

Psal. 86. Deduc me Domine in viam tuam, & ingrediar in veritate tua, letetur cor meum ut timeat nomen tuum.

HAnc viam Christum esse, docet ipsemet Joan. 14. *Ego sum via, ad quam nō nisi per fidem accessus est.*